

A custodit vniuersos sub vmbra alarum suarum, ne cum impijs illius bonitate ad condemnationem vtamur. Parum Christianè pius est, qui ita intendit cœlestibus ac spiritalibus donis, vt ista corporea & temporaria, quibus interim bellè fruitur, nulla gratiarum actiōe & æstimatione digna putet. *Homines & bestias saluas Domine.* Obseruandum hæc est, quis sit Deus saluandi: & quàm communi- ter hæc virtus & bonitas consideranda sit, & quærenda in Deo. Qui non modò iustos, sed homines vniuersos: nec homines tantùm, sed & bestias saluat: id est, conseruat in vita ne pereant. Quàm sunt illi insani, qui non bestijs modò suis, apud quosdam diuos, Valentinum, Vuandalinum, & nescio quos alios, sed & sibijpsis & alijs hominibus salutem apud mortuos quærendam putant?

OBS. 1.

TERTIA PARS PSALMI.

Tertio loco, precatione Psalmum concludit, dicens:

10. *Præteude bonitatem tuam cognoscentibus te, & iustitiam tuam rectis corde.*
11. *Ne pertingat vsq; ad me pes superbia, & manus impiorum ne moueat me.*
12. *Ibi cadent operantes iniquitatem, impellentur, nec poterunt consistere,*

LECTIO nihil habet obscuri.

His versibus orat pro defensione & conseruatione tam aliorum, qui Deum cognoscunt, & recti sunt corde, quàm sui. *Præteude*, inquit, *hanc bonitatem tuam ante eos qui te cognoscunt, & recti sunt corde*, velut vallum quoddam, ne queant ad me pertingere superbi ac præfracti, quia impia manu conantur nos extinguere: prohibeat ista tua bonitas, ne manus impiorum me loco moueat. Quin ibi cadent operantes iniquitatem, ibi impellentur, & ita impellentur, vt nequeant consistere. Videtur mihi omnino Propheta orare Deum, vt pro defensione sui, eam bonitatem cuius meminit, sinat esse loco valli cuiusdam munitissimi, quo cinguntur ciuitates in obsidionibus, ne imminens hostis ad muros pertingere queat. sed magis in illud ita impellatur, vt cadat, nec queat consistere.

EXPLA-
NATIO.

Videmus ergo hoc loco, quò refugium nostrum collocare debeamus, aduersus insultus hostiles impiorum: nempe in vnam Dei bonitatem, quam imaginari debemus esse rectis corde instar valli, quo ab incurso hostili defendantur, & pereant improbi.

OBS. 1.

Obseruandum etiam est, quàm fortiter sese consoletur fiducia diuinæ bonitatis: quæ cum appareat tanta esse in reprobis, etiam bestijs, certè nequeat deserere rectos corde. Ita & Christus Matthæi 6. & 10.

OBS. 2.

Sed iuxtà expendendum est, quid sit cognoscere Dominum, cum & Iudæi & Turci hodie velint pro talibus haberi. Cognitio Dei triplex est: 1. Communis omnium, qua dicunt esse vnum Deum, qui creauerit omnia. 2. Qua voluntas & bonitas ipsius cognoscitur. 3. Qua pro Deo Domino, patre suo illum agnoscit, qui pius est: vt filius patrem, & pater filium agnoscit. Iuxta illud Matth. 7: Non noui vos. & Ioannis 10: Cognoscunt me meæ, & ego cognosco illas. Posteriores duæ cognitiones sunt Christianorum tantùm: hoc est, verè piorum & electorum.

OBS. 3.

Cognitio
Dei triplex.

PSALMVS XXXVII.

ARGVMENTVM PSALMI.

Quoniam periculum est, ne qui imbecilli adhuc fide sunt, & minus exercitati in rerū cognitione, per impiorum prosperitatem offendantur, & à studio pietatis auocentur cogitantes nullā esse vel iustitia vel iniustitia rationem apud Deum, propterea quòd videant impios habere iuxta hoc seculū prosperè, esse diuites. & potentes: instituit hoc Psalmo Propheta, remedium cōtra eam tentationē, de qua & infra copiosè tractat Psalm. 74. Et Propheta Hieremias idē argumentum versat cap. 12. Itaq; hic Psalmus amplis vrbibus omnium est accommodatissimus in quibus tantopere florent & diuitijs abundant homines nullo timore Dei præditi, idq; in conspectu quamplurimum pauperum & egenorum.

Diuisio Psalmi.

Diues est hic Psalmus in suo genere, & plenus argumētis ad propositū facientibus: quæ, vt fit, vbi indulgetur animi affectibus, præter ordinē vsurpata sunt, vt difficile sit omnia ordine comprehendere. Seruabimus tamē interea hūc dispositionis ordinem, vt quæcunq; isto Psalmo tractantur, collocemus in tres classes.

1. Prima habeat ea, quæ cōplectuntur Psalmi propositionem, quam pijs persuadere conatur Propheta, ad quadam adhortans, à nonnullis auocans.
2. Altera contineat in se argumenta persuasionum.
3. Tertia occurrat tentationibus, quibus moueri poterunt imbecilles fide. Tractabimus tamen Psalmū, non ad normam & seriem huius dispositionis, sed magis iuxta versuum ordinem, vbiq; ostendentes, in quā classē quisq; versus pertineat.

Ne bilem tibi moueant maliciosi, neq; inuideas operarijs iniquitatis. *Ne bilem tibi moueant.* Ebr. אל החרר. Græc. & vulg. Lat. Noli emulari. Hieron. Noli cōtendere. Iustin. Ne sequaris. Pagnin. Ne misceas te. Tigurina: Ne succenseas. Campensis: Nihil te moueat. Neq; inuideas. Ebr. אל תקנא. Græc. & vulg. Lat. Neq; zelaueris. Sic & Felix, & Pagnin. Hieron. Iustin. Neq; emuleris.

VERS. I.
LECTIO
Vers. 1.

Pertinet hic primus versus ad primam classē ac propositionem, quæ hoc habet, vt ad studium pietatis adhortetur, & quæ ab illo auocant, dehortando amoliat.

EXPLA-
NATIO
Vers. 1.

Dehortatur autem à duobus hoc versu Propheta: quæ vt talia sunt, quæ non modicè auocent à tenore seruandæ pietatis, ita pietatis studiosis, nisi cauti sint, insensibilissima sunt.

D 3 Ne bilem